

2. (-3)

DE
ANGINA POLYPOSA.

DISSERTATIO.

Cujus Partem Secundam;

APPROBANTE EXP. FAC. MED. ABOËNS.

PUBLICÆ CENSURÆ MODESTE SUBJICIUNT

NICOLAUS ABRAHAMUS URSIN,

*Phil. & Med. Doctor, Adjunct. Ord. & Anatomiae Pro-
sector, nec non Cancellista Imper. Coll. Med. Fennic.*

ET

CAROLUS ANDREAS WINTER,

*Stipend. Bilmark,
Wiburgenses.*

In Audit. Medico die XV Dec. MDCCCXIX,

h. a. m. s.

ABOÆ, Excudebant J. C. FRENCKELL & FIL.

FÖRSTE LANDTMÅTAREN,
LANDTMÅTERI-DIRECTEUREN
HOGÅDLE
HERR JACOB FREDRIC WINTER,
OCH
LANDTMÅTERI-DIRECTEURSKAN
HÖGÅDLA
FRU HEDV. DOROTH. WINTER,
FÖDD URSIN.

Hembärer en ringa gård af den lifligaste tacksamhet för ospar-
da möder, ömma omsorger och gränslösa välgerningar,

utaf

Deras

Ödmjuklydigste Son
CARL ANDERS WINTER.

Asperæ Arteriæ Bronchiorumque Vasa nutrientia *Bronchiales Arteriæ* sunt. Namis hæc, quod originem, variant. Aut enim *Dextra* et *Sinistra* commune trunco ab Aorta exeunt, aut *Dextra* ab *Intercostali Suprema*, *Sinistra* ab Aorta & id quidem vel uno trunco vel duabus aut pluribus radicibus. Ad *Tracheæ* ramos subrepunt eosque multitarie circumvolvunt, ut nunc in anteriori nunc in posteriori ora progradientur. Eosdem, quos & *Bronchia*, emittunt ramos; & sic in ultimos ramulos eorumque fines tendunt, ubi *Rete illud Vasculare* una cum *Pulmonali Arteria* constituant, ex quo *Vasa exhalantia*, ipsarumque *Venarum* stamina existunt. Per totum eorum cursum ramos emittunt, qui in *Bronchiis* serpententes nunc proprius ad suam originem, nunc vero longius ab ista, extimam *Bronchiorum* membranam perforant, sub illa paullulum oblique serpentent, interiora versus semet flectentes, muscularē tunicam intrant atque in propria membrana innumerabilia gignunt vasa capillaria. Hæc vero capillaria vasa non modo nutritionem persolvunt, verum etiam vaporem illum, qui canalem irrorat, exhalant. Et ejusmodi, ut videtur, vasis præcipue exsudatio illa, quæ in *Angina Polyposa* insignis observatur, ortum suum debet.

Ablegant præterea Arteriæ *Bronchiales*, priusquam *Bronchi* in *Pulmonalem* substantiam intrant, majores ramos, qui inter *Pulmonum* lobos prorepentes, numerosos utrinque emittunt ramos, desinuntque denum sub *pleura pulmonali* in *Rete vasculare*, unde vasa proveniunt, quæ exhalationem in his locis absolvunt. *Pseudomembranæ* quoque, quibus in *Inflammatione Pulmones* adjacentibus locis annectuntur, his iisdem absque dubio exhalantibus vasis originem debent. Alii minores rami in *Bronchiales*

chiales glandulas, alii in pulmonum vasa, alii abeunt in nervos.

Quod ad venas attrinet, a rete vasculari hæ quidem proveniunt, sed in truncos, arteriarum truncis respondentes, haud coeunt; verum ut minores rami in Pulmonalem Venam, per totum ejus cursum, subinde transeunt 43). Ad Basin tamen Pulmonum venarum ramuli ex Bronchiis et rete vasculari superficiali truncum formant, quem *Venam Bronchialem* dicunt. Dextra in venam Azygam vel venam Cavam, Sinistra in Intercostalem Superiorem vel Azygam plerumque tendit.

Ad exhalationem et in superficie Pulmonum et in ultimis Bronchiorum finibus, et forsan etiam ad nutritiōnem peragendam multum quoque Arteria Pulmonalis conductit. Id tamen præcipue habet sibi injunctum, ut sanguinem in ultimos Bronchiorum fines ducant, quo cum aere commercium habere possit.

E Ventriculo Cordis Anteriore postquam *Pulmonalis arteria* exiit, in duos tamlos, *dextram arteriam longiorem*, ampliorem, et *sinistram breviorem*, angustiorem abit, ramulique ejus, cum Bronchiali Arteria per Anastomosin multifarie conjuncti, Bronchia sequuntur, et ad ultimos Bronchiorum fines proiecti, rete una cum Bronchiali arteria formant vasculare, unde Vasa exhalantia et stamina venarum proveniunt. Ablegant quoque ramos versus superficiem Pulmonum, ut ibi multifario modo divisi in rete vasculare desinant rami.

Venæ

43) Vid. REISSEISEN I, c. pag. 24.

Veneæ vero Pulmonales, e retibus jam nominatis or-
tum ducentes in majores semper abeunt ramos, qui un-
diique surculos Venarum Bronchialium excipientes truncos
formant, qui tandem in quatuor, duos nempe ex utroque
Pulmone coeunt, sanguinemque in Atrium Cordis Poste-
rius ducunt,

Nervos Trachea et Bronchia a Nervo Vago accipi-
unt. Posteriorem Tracheæ parietem hic Nervus sectans,
cum Intercostali Nervo, priusquam Pulmonum substantiam
intrat, conjungitur, Bronchialeaque Arteriam per omnes
ejus ramulos sequitur, & cum illa in propria Bron-
chiorum tunica evanescit. Major ramus Arteriam Pulmo-
nalem per ejus ramulos comitatur, & mirandum in
modum filamenta distribuit. Sic aliud filamentum Arte-
riam laquei instar ambit, & in proximum Bronchiorum
ramum transit, aliud e nervo, qui Bronchia sequitur, pro-
veniens circum arteriæ ramum semet jacet & ad Bronchia
redit. Arque, licet filamenta Nervi minima usque ad
ultimos Bronchiorum fines prosequi haud possint, admo-
dum vero simile est, quæ partium analogica est fabrica,
eos hucusque tendere.

Absoluta vero & finita earum partium delineatione,
quæ morbo, quem tractandum nobis proposuimus, ma-
xime afficiuntur, ipsius morbi descriptionem sistere jam
in animo est.

Infantes — est enim infantilis ætas huic diræ labi quam
maxime obnoxia — per longius brevius temporis inter-
vallum male se habent, tristem moestamque præ se ge-
runt vultum, & hilaritatem amittunt, lätam illam & ju-
cundam teneræ ætatis comitem. Gravitas capitis senti-
tur. Adebet gravedo, raucitas, lassitudo. Somnus in prom-

D 2 tu est.

tū est. Urget tūscula sicca, nec defunt alia symptomata, quæ coryzam vulgo comitantur. Hęc omnia, quæ stadiūm prodromorum constituunt, eo magis in oculis cadunt, quo tardius morbus obrepit. Ubi vero cito & ex inopinato irruit morbus, quod fere est perpetuum, prodromi hi vix observari possunt, nec durant nisi per aliquot horas. Hęc inter initia febris 44 magis minusve intenta accedit. Difficulter spirat æger. Id vero primo modice, dein magis magisque vehementer, ita ut vires demum intendat omnes, quo spiritum trahat. Spirat autem æquabiliter ac sine intermissione, justo quidem & solito frequenter, sed tamen non admodum frequenter. Propter angustias, per quas spiritus evadit, sonus ex respiratione oritur & quidem acutus & fere sibilus stridulusque. Auditur sonus non in propinquō solum, sed ex adjacenti quoque conclave, p̄tissimum cum spiritum colligit æger aut tūscula subvenit. Vox magis magisque rauca evadit. Tūsis, quæ primum sicca erat, jam sono indicat, adesse pituitę quid, sputo ejiciendum. Tūsis subinde ope, tenacissimę nunc materiei copia, nunc massa polyposa, nunc quoque, licet id rarius, concretiones ejiciuntur membranaceę, quæ formam Alperę Arterię & Bronchorum, ubi concreverunt, hand inepte imitantur. Fit id majore minoreve labore, sed semper cum magno ægrotantis levamine. Anxietas magis magisque crescit & horrendum

44) Est de ea re inter auctores magna opinionum disensio. SCHULZ, ROSENSTEIN, RUMSEY, GUTFELD nullam admittunt febrem; REIF, HARLES, HOME, BLOOM, SALOMON, VIEUSSEUX febriculam tantummodo observarunt; ALBERS, LENTIN, MICHAËLIS acutam viderunt & intentam febrem (cfr. SACHSE, das wissenswürdigste über die häutige Bräune - Lybeck 1810 8:o I. Th, pag. 64.) Ipse Celeb. HEIM veram & genuinam Anginam Polyposam existere veluit sine ulia febre.

dum in modum augetur. Spiritus non nisi recta cervice trahitur 45). Nec symptomata, quæ impeditam vulgo comitantur respirationem, diu abesse poslunt. Tumet itaque facies & rubet. Scintillant oculi & prominent. Micant Carotides Externæ, ut earum pulsus observare possis, etiamsi digitum his non admoveas. Calor in Capite & cervicibus major, quam in cæteris corporis partibus. Sudor præsertim e capite prorumpit; corpus de cætero sudore madidum est. Sominolentia non solum inter morbi initia, ut statuere amat cel. HARLES 46), sed per totum fere morbi cursum observatur. Hoc incrementi stadium oxyus serius absolvitur, prout magis mitusve acutus morbus est. Increscit vero plerumque paucas intra horas, raro admodum supra horam trigesimam sextam.

Increscens ita morbus, si interveniente artis salutifera medela nunc haud retardatur aut levatur, aut si tanta vi invadit & vexat, ut contra illum ars nihil possit, corrip-tis gradibus ad triste suum & horrendum properat cacumen. Spirandi difficultas major majorque evadit. Timide de matris complexu ad lectum miserri advolant ægrotantes,

45) Id signum esse formatæ jam in Aspera Arteria tubulosæ membranæ, ut voluit Cel. Heim, non est experientia confirmatum. Ostendit potius morbum vehementiorem esse magisque intentum, quia symptomatum vehementia respirationem non admittit, nisi reclinato capite. Cum enim extenditur cervix, detrahitur superior Cartilaginis Thyreoideæ margo, quo fit, ut Glottidis rima longior evadat. Epiglottis quoque, cum reclinatur caput, quæ Epiglottidis est elasticitas & ejus cum Linqvæ radice ligamentosa conjunctio, magis erecta a Rima Glottidis distare potest. Ideoque hoc modo via æti transienti tanta panditur, quanta propter angustias fieri potest.

46) Vide HUFELAND, Journal der praktischen Heilkunde. B. 6. p. 571.

tantes, hoc illuc se jactantes. in maternum vero gremium mox iterum confugiunt, ut miseriarum levamen inveniant. Facies magis magisque tumida, viscido sudore obtegitur. Oculi prominent magis. Pulsus frequentior, debilior, intermitit demum. Sopor interdiu & noctu continuat, interruptus solummodo, cum strangulatio imminet. Angor horrendum in modum crescit. Iactant ægri brachia & crura. Anxie & vehementer atcipiunt, quod ad manus proximum est. Exsilunt e lecto, manus faucibus admoveentes, quasi vellent impedimentum, quod aæreas vias coarctat, vi evellere. Vires intendent omnes, ut aërem hauriant, donec labefactati & confecti in soporem iterum recidunt. Conscii sibi adhuc sunt, ut per totum morbi cursum, sed id tantum, quantum sapere permittit sopor. Spiritus jam parce admodum & exigue Tracheam jamjam coarctandam transit, rausus ebullit. Adstat demum placida mors, ac leni sua & amica manu angores abstergit & ærumnas, quietemque imperat.

Si vero ad meliora morbus inclinat, symptomata sensim minuuntur. Sudor criticus sputumque adeat. Ejicitur e Trachea viscidus tenaxque mucus, interdum membranacea concretio. Spirandi difficultas soporque decrescunt. Pulsus liberior, somnus longior, sudor e toto corpore, vox & sonus evadunt magis sonora. Hoc stadium decrementi, ut est sæpe improvisum & inopinatum, ita haud raro quam citissime absolvitur, multoties paullo momento. Si ægrotanti contingit id, quod in Trachea concrevit, tussis ope evellere, idque opportuno tempore, jam omne abest periculum, & convalescentiae portus aperitur. Revalescit æger citius lentius. Manet vero tussis humida, & quidem per hebdomades sæpe, sed facile & sine molestia ducitur spiritus, vires insuper redeunt, & pristinam suam hilaritatem convalescentes recuperant.

Symp;

Symptomata vero, quibus ab aliis morbosis affectionibus Angina Polyposa maxime distinguitur, hæc fere sunt.

Sonus mutatur. Adest enim mox & in ipso morbi limine vocis raucedo, inter initia levis quidem, sed sub morbi cursu magis magisque aucta, ut, si male respondeat, vox plane deficiat. Pendet vocis mutatio a partium tumore ex humorum orto majori copia, quam inflammatio, Laryngem invadens, in organa vocis ducit, vel a spasmo, qui Laryngis occupat musculos 47). Morbum haud raro raucitas praedit. Quapropter huic medicus habeat præcipuam animi attentionem, necesse est. Durat vero, post sublatum quoque morbum, ad breve ad longum tempus, ad extremam interdum ætatem.

Subvenit tussis, primo quidem & priusquam ipse morbus incipit, Catarrhalis tussi haud assimilis, sed mox peculiare suo & notabile fono facile dignoscenda. Sono afflictæ gallinæ Cel. WICHMAN hunc comparat sonum 48). Sed nulli animalium voci ex omnibus partibus similis, neque potest notis ita describi, ut ab alio quocumque fono dignosci possit, est tamen ita insignis & singularis, ut, qui una vice hunc audiverit, non facile decipiatur, neque in errorem ducatur.

Spiritus

47) Humorum affluente copia raucitatem provenire, vel ex eo intelligitur, quod, qui din & multum canunt, rauci demum evadunt. Spasmus vero sonum posse reddere raucum, minimi ü negant, quibus notum, posse hominem, si ita fert voluntas, apto & scito eorum, qui Laryngis Cartilagines regunt, muscularum voluntario motu, raucum edere sonum,

48) Vid. WICHMAN l. c. pag. 112.

Spiritus ægre trahitur. Ubi cito morbus invadit, spirandi difficultas mox cernitur, nec decedit nisi cum ipso morbo. Si vero minus rapide explicatur morbus, serius paullo accedit, nunquam vero deest. Larynx sub respiratione detrahitur, levaturque totus Thorax, quo fit, ut ex actione muscularum Sternothyroïdeorum fossa in ipsis integumentis inter horum muscularum origines ad superiorem Thoracis marginem, cum spiritus intrat, cernatur. Et est illud quidem signum minime fallax, ad quod attendat medicus, etiamsi sonum nondum audiat. Cum vero ad summum jam ventum est, respirationis vites adhibendæ sunt omnes, si spiritus poterit trahi. Thorax demum immotus manet; ægerrime vero adhuc spirat infans, donec Diaphragma, quod semet vicissim contrahendo & dilatando respirationis negotium quadantenus peragit, immobile in perpetuum consistit.

Hæc de Anginæ Polyposæ Diagnosi. Generatim non ita facile est, hunc morbum ab aliis distinguere posse. Nullum speciatim habet signum pathognomicum. Ipsa vox stridula, quæ hujus morbi in genere propria est, fæpisfime non nisi sub tussi aut loquendo cernitur; abest non raro inter initia, & observatur solummodo versus morbi finem. Quid? quod tota quanta interdum defuit 49). Nec delunt casus, ubi idem sonus aliis quoque in malis sit observatus 50). Ex hoc ideoque indicio non magis quam e spirandi difficultate, vel ex alio quodam unico

49) Ait MICHAËLIS, (l. c. pag. 108) sagacissimus ille observator: "Nec exemplo plane caremus, ubi per totum morbi decursum defuerit." (sc. vox stridula.)

50) Vide HOMERI l. c. pag. 49.

unico signo, Polyposam adesse Anginam, concludere licet; sed studiose & attente signa is conquerat omnia, necesse est, qui errorem effugere velit. Acutissimi naturæ Icru-tatores hujuscemorbi specie nonnunquam decepti sunt. Ipse sagacissimus ille WICHMAN semel. 51). Magnam igitur in obseruando solertiam, magnam in experiendo re-quiri sagacitatem, ut inter initia morbus cognoscatur, quis est, quin videat. Ubi vero sonum illum peculiarem, vo-cisque raucitatem medicus audit, accingi omnino debet, ut ad horrendum debellandum hostem sit paratus. Sedula ad ægrotantium lectos exercitatio & assidua, optime rem illustrat, medicumque manuducit tutissime, &, quo-minus in devias ille aberret, impedit. Est igitur, ut in multis aliis morbosis affectionibus, sic in hoc potissimum morbo, maximi momenti, ut medicus quisque, inter ti-rocinia præfertim, omnes avidissime artipiat occasiones, hujuscemorbi cursum attentis oculis sequendi.

Nullo alio cum morbo tam facile nostrum confun-dunt malum, quam cum *Asthmate* illo *Acuto*, quod & *Periodicum Millari* vocant, morbo, quod genium, exi-tum & medelam attinet, a nostra labe plane diverso. Ut enim in Angina Polyposa vasa minima morbose afficiuntur, sic in Asthmate Acuto nervi præ cæteris laborant. Urget quoque spirandi difficultas, sed id a primo statim initio vehementer magis, & majori vi, quam in Angina Polyposa, ubi a parvis initiis increscere solet. Sonus gra-viusculus magis est 52). Tussis vix aut ne vix quidem

E obve-

51) Vide WICHMAN, l. c. pag. 115.

52) Ultimi Bronchiorum ramuli spasmo corripiuntur, libero vero Larynx & integro. Parva igitur inspirati aëris quantitas sub expiratio-ne ejicitur per amplum orificium. Unde sonus gravior.

obvenit. Ubi vero adest, versus morbi finem adest, & quidem semper humida. Symptomata nervosa, urina pallida & liquida, e sternutatione levamen, tendinum subsultus, risus involuntarii observantur. Quod vero Asthma Acutum ab Angina Polyposa maxime distinguit, periodica accessio est. In Asthmate enim Millari accessiones inter distinctæ cernuntur remissiones, sub quibus libere respirant ægrotantes, vel ad lumen levi quodam Catarcho laborare videntur.

Neque desunt exempla, ubi nostrum morbum cum *Gangrænosa Angina* medicæ rei scriptores confuderunt. At deterrimus oris foetor, lingua sordibus biliosis obiecta, nausea, vomitus, alvi fœtidissimæ dejectiones, color fau- cium coccineus, nigris maculis adspersus, ulceræ oris putrida, & quæ sunt ejusmodi alia Anginæ Gangrænæ propria, Diagnosin haud reddunt difficultem. Perpetuum quoque fere est, deliria hunc sequi morbum, cum e contrario, qui Angina Polyposa laborant, per totum morbi cursum & usque ad ultimum fere anhelitum sui compotes sunt. Quod si excreta sub Angina Gangrænosa & pertusin ejecta membranacea canalis Diagnosin difficultem reddit, vehemens tamen ille dolor, qui post excretam ejusmodi canalem manet, aperte ostendit, gangrænam adesse, quæ Alperam Arteriam excoriat.

Aliquando *Tussis* etiam *Convulsiva* pro nostro habita est morbo. At scrutator debita animi attentione ornatus, non facile in errorem cadit. Spasmota enim symptomata, russis potissimum, & veræ inter accessiones intermissiones Tussin non ambigue notant Convulsivam. Neque facile Angina Polyposa cum *Cynanche Tracheali*, *Angina Pectoris*, & quæ sunt aliæ huic magis minusve similes

mor-